homines ab eterno dampnationis debito posse
solvere. Numquid et eodem debito aliquos posse
ligare? Ecce duo venerunt ad sacerdotem. unus
crimine obduratus et eo ipso ligatus. alius ve
raciter tristis et eo ipso solutus. Numquid non potest
vel ligatum solvere vel solutum ligare? Nam non
est solutio nisi eius qui prius ligatus fuerat.
nec ligatio nisi eius qui prius solutus erat. Item
Ecce duo criminosi venerunt ad sacerdotem.
unus vero penitens. alter omnino impenitens.
Numquid potest quod impenitentis peccata remit
tere. et vere penitentis pro voto retinere?
Primus itaque notandum quod peccatorum
obligatio consideratur circa duo. Alia est enim
illa obligatio per quam homo obligatur ad culpam.
et alia est illa per quam obligatur ad penam. In
uno obligatur vinculo captivitatis. in altero
vero obligatur debito dampnationis. Cum
enim homo in aliquod grave peccatum ceciderit. iam
non est in eius potestate ut resurgere possit
per semetipsum. Per semetipsum potest a deo
recedere. sed per semetipsum non potest ad ipsum redire.
Est siquidem secundum psalmistam spiritus vadens et
non rediens. Unde est illud psalmiste. Beatus
vir qui non abiit in consilio impiorum. Hinc
est quod obligatio culpe dicitur mors anime. quia sicut
per mortem exteriorem corpus restringitur ab operibus
que sunt ad vitam istam. sic anima per obliga
tionem culpe mortificatur ad opera que sunt
ad vitam eternam. Sed homo semel vinctus
atque captivatus utinam teneretur ad solam capti
vitatem. sed quod miserrimum est tenetur etiam ad
peccandi servitutem. Nam qui facit peccatum ser
vus est peccati. Unde fit ut cotidianas usu
ras exsolvat. et reatus sui debitum cotidie au
geat. Inde est illa promissio quam habetis in
psalmo. Ex usuris et iniquitate redimet
animas eorum. Culpe itaque obligatio versatur
circa duo. In uno attenditur vinculum capti
vitatis. in alio debitum servitutis. Ecce de ob
ligatione culpe.

Nunc autem videamus de obligatione pene. Ad
cumulum namque miserie tenetur prevaricator
merito prevaricationis sue non solum vinctus ad
culpam. verum etiam addictus ad penam. Eo ipso
siquidem quo illud committit. quod contrarium in se est
in eternum corrigere non possit. et in ipsius iniuriam
qui in eternum vivit. eo ipso iniquum eterne dampna
tionis debitum incurrit. Dampnatio autem
[illegible] sacra scriptura dicitur mors secunda. Nam
sicut ex obligatione culpe retrahitur anima
a beneplacito divino. sic ex inflictione dam
pnationis eterne alienatur anima ab omni
beneplacito proprio. Hominem autem huiusmodi vin
culis obligatum solus ille solvere potest qui vere
omnipotens est et omnia potest. Que enim apud homines impos
sibilia sunt possibilia sunt apud deum. Nullum
enim cor tam lapideum. tam durum vel obstinatum
quod dominus statim cum voluerit ad veram penitentiam e
mollire non possit. Hinc est illud utique beati
Iohannis baptiste. Potens est dominus de lapidibus is
tis suscitare filios abrahe. Numquid ergo ille qui omnia
potest prevaricatorem ad veram penitentiam compun
git. quid aliud quam quod eternalem culpam. et eo
ipso eternalem penam terminabilem facit. Sic
utique. sic transit pena in penam. eterna in transi
toriam. et qui tenebatur debito dampnationis.
merito iam tenetur debito expiationis. Ecce
iam habes quia pene obligatio versatur circa
duo. Aliud namque est debitum dampnationis.
et longe aliud debitum expiationis. Ecce iam
aperte tenemus sicut ex superioribus cognovimus quia
considerantur circa obligationem culpe duo si
militer circa obligationem pene. Nam in culpe
obligatione ut dictum est invenis vinculum
captivitatis. et vinculum servitutis. Ex vin
culo captivitatis illaqueatur ne redeat ad
faciendum bonum. Ex vinculo servitutis adst
ringitur et exagitatur ad augendum malum. Utrumque
autem ad dampnationis augmentum. Similiter in ob
ligatione pene constat procul dubio gemi
num vinculum esse. vinculum dampnationis vinculum